

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE

PARONYCHIA:

QUAM
ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex auctoritate reverendi admodum viri

D. GULIELMI WISHART, S. T. D.
ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,
et nobilissimae FACULTATIS MEDICAE decreto;

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,
ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

EDMUNDUS KELLY, HIBERNUS.

Ad diem 29 Maii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

Apud HAMILTON, BALFOUR, et NEILL.

M, DCC, LI.



DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

PARONYCHIA.

OBVIA plerumque, et sensibus subjecta negligimus, dum occulta magis et recondita sedulo perscrutamur; unde forsitan fit, quod Paronychia nulli adhuc hujus academiae juveni thesis materiam praebuit; quare, ut Senatus academici mandatis obtemperem, hujus mali curam invitus aggredior.

Non desunt, qui me rem nihili et medici solertia indignam aggredi existiment, ut quidem vulgus id parvi facere affolet, hinc Latinis etiam, reduviam curare, proverbiali sententia est, in re minima occupari; sed hos monitos velim, saevissima symptomata hunc morbum comitari; dolores acutissimos, febres, convulsiones, deliria, ossium caries, gangraenam, sphacelum, et hinc ipsam periclitari vitam: praeterea partes quas hoc malum occupat, si non ad naturalem, ad vitam tamen civilem et domesticam instrumenta sunt perquam necessaria, quae rite valere summopere interest.

A

COLLECTIO

COLLECTIO puris ad extrema vel phalangas digitorum, cum symptomatibus cuius phlegmoni propriis, vocatur Paronychia.

HUNC morbum adesse pronunciamus, si tumor renitens, durus, ruber, cum igneo ardore, dolore punctorio, et pulsatione, febre plerumque comite, extrema digitorum invadit: notandum tamen est, digitum vix tumere, si materia morbi profundius haereat. Exinde apparet, hic adesse omnia inflammationis signa; ratio, quare intensior urgeat dolor, ex peculiari partium fabrica, quae materiei distendenti haud facile cedunt, praesertim petenda est. Quidni autem digiti sensu acutiori donentur, quum sint quasi organa tactus, et instrumenta quae corporibus, ad eorum qualitates explorandas, admoveere solemus?

Hoc malum oriri potest a causa interna, humore scilicet tenui, acri, seroso, huc deposito, membranas, tendines, et ossa corrodenti; multo frequentius autem ab externis originem ducere videtur, ab aciculis puta, spinis seu festucis in digitum depressis, necnon a contusione, contritione, rebusque id genus quamplurimis.

VARIA hujus morbi sedes occasionem dedit varias pro situs diversitate species constituendi; nec immerito, cum hinc clarius patescit indoles mali, pro varia partium, quae affliguntur, conditione, magis aut minus ingravescent symptomata, et diversa instituitur medendi ratio.

UT

UT multiplices divisiones evitemus, tres tantum species ponere commodius videtur.

PRIMA species est, si non nisi cutis aut pinguedo, vel sub ungue, vel juxta eundem posita (intactis partibus tendinosis et ossibus) vitium continet.

IN initio, pars affecta leviter, cum duritie quadam, sed absque doloris tamen, saltem fortioris sensu, tumet; mox rubedo cum inflammatione, pulsatione atque doloribus sese ostendit: haec, si non ab intempestivo, non solum medicamentorum, verum et chirurgicarum operationum usu, reddatur maligna, malique moris, periculo vacat, facillimeque curatur. Materiae peccanti exitus concedatur per cataplasma, emolliens et suppurativam, diachylum, cum gummis, simileve aliud, ut materiae vitiosae locus magis conspicuus fiat, et si cuticula crassior vel durior sit, minori cum dolore pars affecta scalpellum suscipiat.

NON raro accidit, quod materia sub ungue latet; in hoc casu, etsi primi sit generis, pus cito corrodit tendinem extensorem digiti, et cruciatus creat intolerabiles, nisi mox rescindatur, vel saltem pars, sub qua haeret materies nociva, et apta adhibeantur linimenta.

HILDANUS^a, tutissimum atque promptissimum Paronychiam curandi modum sequentem, quem saepe cum felici successu tentavit, tradit: primo quidem digitum lacte vaccino,

^a Cent. 1. obs. 97.

vaccino, in quo flores chamaemeli, meliloti, fem. foenigraeci et cydoniorum incocti sunt, aliquamdiu fovet; deinde superficiem cutis (ubi dolor) paulatim difsecat; abrasa cute, maculae quaedam rubicundae apparebant, quibus scalpello incisis, guttulam unam aut alteram aquae rufae sub cute invenit; illa evacuata, linteum madefactum aqua vitae ubi nonnihil theriacae dissolutum erat, applicuit: his statim sedatus est dolor, atque hoc unico remedio altero die sanatus fuit digitus.

SECUNDA Paronychia species est, si nervea tendinum flexorum involucra, vel ipsi tendines digitis flectendis destinati hoc vitio laborant.

HANC speciem tumor plerumque (nullus enim si tendinis vagina interius magis quam exterius inflammatione infestatur) inflammatio insignis, cum dolore acutissimo, febris non levis, convulsiones, et deliria, non raro comitantur.

ETSI a variis auctoribus pro certa prognosi habetur in Paronychia, eo atrocius malum futurum, quo altius haerit; nulla tamen hujus morbi species hac magis funesta videtur, nec faevior ulla; tot superveniunt mala gravissima; gangraena saepe subsequitur, et articulus digitorum unus, vel duo, vel totus perit: quandoque materia acris sese insinuans sub tendinosa expansione, quae in vola manus est, et muscoli palmaris productio, sub ligamento transverso, et annulari, ad carpum colligitur, et abscissum formare solet: nec raro univcrsum brachium, ad internum
offis

offis humeri condylum, quo musculi digitorum flexores originem habent, occupat inflammatio; ad summum usque humerum extendit, et ad glandulas axillares quae inde tumescunt, terminatur; cubitus denique cum humero adeo mirifice quandoque intumescit, ut Garengotio teste, femoris amplitudinem adaequet.

IN hoc casu, ratio suadet; ut larga instituatur venaesectio ad inflammationem sedandam; adhibeantur et cataplasmata emollientia, sed perita chirurgi manu cura perficienda est; nulla expectanda est suppuratio, omnis enim mora periculosa est; sed pars secundum longitudinem ita concidatur, ut in ipsam usque tendinis vaginam plaga penetret, altius etiam infligenda, donec ipse mali fundus detegatur, et vera noxae sedes in conspectum prodeat. Aliquando tamen necesse est, symptomatibus adhuc ingravescentibus, ut elevetur tendo vitiatus, et supra ligamentum annulare leviter intensum, ad partem carnosam discindatur; ligamentum etiam annulare, si maxime inflammetur, et graves excitet dolores, discindi debeat, et hinc mire levatur aeger: refert Garengotius, hominem, cujus malum ita desperatum hic visum, ut chirurgorum alii brachium rescindendum, alii praesentissimum mortis periculum pertimescendum esse judicaverint, dissecto ligamento transverso, mirum quantum feliciter atque celeriter hac ratione pristinae sanitati fuisse restitutum. Cautela perquam necessaria hic animadvertenda est, ut sedulo flexa teneatur manus; hac ratione enim ligamenti vulnus glutinabitur,

et restituetur motus : si vero imprudenter extendatur, e loco profiliunt tendines, sub ligamento positi, et inutilis evadit manus.

TERTIA denique Paronychia species, periosteum, tenebram istam et sensilem membranam, vel os ipsum, vel utrumque afficit.

HAEC ab altera Paronychia species, non solum situ differt, sed in hoc praecipue, quod nullus tumor, nulla externa apparent inflammationis signa, nec cuticula alieno dehoneftatur colore ; dolorem acutissimum profunde situm, quasi in ossis substantia miserabilis sentit aeger ; et omnia symptomata, quae a gravissimo dolore pendent, superveniunt ; ad brachium vero non extendit inflammatio, nec ad condylum humeri internum, cum fit in secunda specie, sentitur dolor : infausta tamen in hoc casu datur prognosis, tantus fit dolor, tam urgentia symptomata, caries non raro invadit ossa, et ultimus articulus penitus excidit, praecipue osse primum affecto : si vero a periosteo communicatur malum, levis expectanda est exfoliatio, et phalanx conservari potest ; quod quidem rarius contingere crederem : Celeberrimus Van Swieten ^a haec habet verba ; “ Quam
 “ cito autem a periosteo affecto destrui possit vitalis in osse
 “ fabrica, imprimis patet in Paronychia, quando nempe
 “ validissima inflammatio in periosteo, ultimam phalangem
 “ digitorum tegenti, nascitur, cum dolore intolerabili ; vix
 “ enim per paucas horas duravit tale malum, quin fidere-
 “ tur

^a Pag. 926. de morbis ossium.

“ tur integre ultima phalanx, et postea cadat.” Et olim monuerat Aristoteles, ^a Siderari ossa suis membranis spoliato, ψιλόμενα τὰ ὀσᾶ τῶν ὑμένων, σφακελίζει.

QUOD ad curationem attinet, praestantissimum auxilium in ferro poni debet; ad os usque gnaviter infligatur vulnus; quo nudato, etsi parva copia effluat humor, remittunt tamen ut plurimum symptomata: nullius fere momenti videtur cautio a nonnullis data, qui alterutro lateri, neutiquam ad mediam articulorum partem, scalpellum admovendum statuunt, ne muscoli perforantis tendo laedatur; iste enim tendo ad medium extremi articuli nunquam attingit, sed primae ejus parti inferitur. Et digitum hic tuto incidi posse, multiplici experientia patet: eo facto, vulnus eadem ratione, ac in ossium vulneribus fieri solet, per adhibitam myrrhae vel succini essentiam, vel et per balsamum Peruvianum, decenter glutinatur.

CELSUS ^b de vitiatis ossibus curandis agens jam dixerat. Oportet autem ante omnia os nudare, ulcere exciso; et si latius est ejus vitium, quam ulcus fuit, carnem subsecare, donec undique os integrum patefiat: tum id, quod pingue est, semel iterumve satis est admoto ferramento adurere, ut ex eo squama secedat, aut radere, donec jam aliquid cruoris ostendatur, quae integri ossis nota est; nam necesse est, aridum sit id, quod vitiatum est.

^a De hist. animal. lib. 3. cap. 13. in fin.

^b Lib. 8. cap. 2. p. 508.